

Nominis memoriam quam maxime longam efficiendi studium naturale est et insitum in animis mortalium. Alii meritis de genere humano, rebus bello gestis, et ingenii monumentis certissimam ad posteritatis laudes viam invenerunt; nam *ingenii egregia facinora sicuti anima immortalia sunt*; aliis, ut hac fruerentur felicitate, per fata sua non contigit; alii inertia sua sibi nocuerunt; sed hi quoque, etiamsi de laude apud posteros consequenda desperarent, nominis tamen sui et vitae memoriam utique servare cupientes quod quidem alia ratione non poterant, per lapides (quos *memores* Propertius adpellat,) consequi et olim studebant et nunc student. Quare inscriptiones antiquae in lapidibus ex maxima parte epitaphia sunt et elogia mortuorum plus minus ornata; in quibus admodum pauca virorum vel pace vel bello insignium reperta esse non facile mirabimur, si eorum et numerum nullo tempore magnum fuisse, et animum magnum monumenta sprevisse reputaverimus, quorum etiam firmissimis imbres et aquilones interitum adlaturi sint. Plurima epitaphia sunt hominum, quorum nomen, nisi in lapide legeretur, ante saecula plurima interiisset. Interdum versus leguntur adscripti. Exstant etiam in poetarum antiquorum libris epitaphia ita scripta, ut, si in marmore non essent incisa, tamen incidi potuissent. Quorum si pauca vulgaribus elegantiora ita, ut etiam eorum, quae in lapidibus leguntur, ratio non neglecta reperiatur, interpretatus fuero, fore spero, ut, quum in lectionibus de hisce rebus differendi occasio non facile detur, juvenibus antiquarum literarum studio deditis, paullulum prodesse possim.

Martial.

Martial. lib. VI. epigr. 76.

Ille sacri lateris custos Martisque togati,  
 Credita cui summi castra fuere ducis,  
 Hic situs est Fuscus. Licet hoc, Fortuna, fateri:  
 Non timet hostiles jam lapis iste minas.  
 Grande jugum domita Dacus cervice recepit,  
 Et famulum victrix possidet umbra nemus.

Cornelii Fusci mores scripsit Tacitus Hist. 2, 86. Erat „claris natalibus; prima juvena quietis cupidine senatorium ordinem exuerat; idem „pro Galba dux coloniae suae eaque opera procurationem (Dalmatiae) „adeptus, susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit, „non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus; pro certis et „olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat.“ Idem postea praefectus cohortium praetorianarum magna florebat auctoritate, sed contra Dacos missus proelio victus periit. Testes sunt Suet. Domit. c. 6. Entr. 7, 23 et Juven. Sat. 4, 111. Huic Fusco Martialis, certior factus, sepultum esse in nemore eius regionis, ubi ceciderat, hoc epitaphium Romae quidem fecit, sed ut in sepulcri lapide inscriberetur. Exstabant vero etiam monumenta sine mortuorum corporibus, cenotaphia, quae vel in honorem alibi sepulcorum, vel iis exstruebantur, quorum sive in bello caesorum, sive fluctibus suffocatorum, sive alio quovis modo interemptorum corpora ad sepulturam reperiri non potuerant. *Hic situs est*, in marmoribus his literis H. S. E. indicari solet; reperitur etiam H. S. S. hic siti, sitae sunt; H. ADQ. hic adquiescit; in versibus: *hic jacet, hoc jacet in tumulo*. Martialis Lucanum imitatus est 8, 793. *Hic situs est Magnus. Placet hoc, Fortuna, sepulcrum dicere Pompeii?* — Fusco, quum esset praefectus praetorio, Romae sacri lateris, imperatoris et Martis togati, Domitiani in urbe, custodia erat credita; eidem castra imperatoris, exercitus contra Dacos; Domitianus enim bella

per

per duces gerebat. — *Fortuna*, qua non favente Fuscus cecidit, nunc licet fateri, iste lapis s. tumulus non amplius hostes timet magnis praeliis victos, quod quidem Romae, quum Domitianus de Dacis triumpharet, opinabantur. Nunc victrix umbra Fusci hoc *nemus famulum possidet*, has silvas obtinet sibi quasi servientes. Propert. 1, 18 v. 2. „et vacuum Zephyri *possidet* aura nemus.“

Lib. VII. epigr. 40.

Hic jacet ille senex Augusta notus in aula,  
 Pectore non humili passus utrumque deum,  
 Natorum pietas sanctis quem coniugis umbris  
 Miscuit; Elysium possidet ambo nemus.  
 Occidit illa prior viridi fraudata juvena;  
 Hic prope ter senas vixit Olympiadas.  
 Sed festinatis raptum sibi credidit annis,  
 Adspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

Inscriptio monumenti, quod Etruscus patri exstruendum curaverat. Smyrnae hic fuit servili quidem conditione natus, sed *ingens supplevit fortuna genus culpamque parentum occulit*. Dominos habebat imperatores, in prima juventute Tiberium, a quo libertate donatus Caligulam in expeditione Germanica comitabatur, deinde Claudii praecipua gratia florebat, atque ut videtur Neronis, aerario et thesauris praefectus, ipse opibus auctus. Post Neronem otio datus in summa vixit temperantia et uxorem duxit Etruscam, nobilem, cuius frater Consul fuit et exercitum duxit, *quum prima truces amentia Dacos impulit et magno gens est damnata triumpho*, Oppius Sabinus, ut opinantur; nam res incerta est. Etrusca postquam duos filios pepererat, quorum minor Claudius Etruscus ab avo materno cognomen acceperat (sicut Lucanus poeta,) florente aetate diem obiit. Maritus vero etiam Flaviae gentis imperatorum gratia florens et dignitate equestri orna-  
 tus

tus annos jam octoginta natus a Domitiano in exilium missus est in Campaniam; causa ignoratur; brevi inde revocatus paullo post mortuus est a filiis maximo luctu defletus. Congessi haec ex Lacrimis Etrusci in *Statii Silv.* III, 3. *Hic jacet ille senex*, pater Etrusci, cuius cognomen nec Statius nec Martialis commemorarunt, ut fere suspicer, versibus id parum fuisse aptum; Claudii nomen romanum ex more a Tiberio acceperat, qui eum manu miserat; *notus in aula Augusta* imperatorum; semper ei, ut Statius narrat, *gradus prope numina, semper Caesareum coluisse latus sacrisque deorum arcanis haerere datum*; aerario imperatorum praepositus inter aulicos eminebat; *pectore non humili, animo magno passus utrumque deum*, Domitianum et iratum et faventem. *Quem pietas filii utriusque*, quorum posterior patrem in exilium comitatus fuerat, (*Mart.* 6, 85.) *sanctis umbris*, cineribus (*Mart.* 6, 18. 10, 71.) *coniugis miscuit*, uno eodemque sepulcro cum uxore ante annos multos defuncta condidit. Componebant s. condebant ossa collecta et cineres in ollis (ossuariis.) Singulae, binae, trinae et plures reperiuntur in conditoriis, quorum simpliciora erant tetragona oblonga, plana, muro brevi circumdata, supra lapide tecta; monumenta maiora turricularum saepe formam habebant plus minus ornatarum; alia amplissima, artificum operibus insignia, splendebant magnificentia summa. Cippis longe plurimis insculptae sunt literae D. M. sive D. M. S. sive ipsa verba: DIIS. MANIBUS. SACRUM, addito ad nomen sepulti indice aetatis, honorum, elogio virtutum, et nomine eius, qui monumentum fecerat. Aetatem saepe per compendia sive sigla fere haec indicabant: Q. V. A. IIII. M. X. h. e. qui, quae vixit annis quatuor, mensibus decem; interdum dies, adeoque horas videmus adscriptas, ut: VIXIT. ANNIS. XXIX. MENS. VIII. DIEB. XVI. HORIS. VII. Quod hodie religiose observare solent, ut annum diemque defuncti natalem et fatalem adscribant, id veteres neglexerunt. Multa sunt epitaphia, quorum ne saeculum quidem conjectura probabili assequi

assequi possimus. Annus et dies, quo monumentum positum sit, leguntur ap. Grut. pag. 514. no. 3. sed ea inscriptio est ex Ligorianis, quibus nulla fides est. — Redeamus ad epigramma supra scriptum. *Ambo*, utriusque parentis manes junctos possidet nemus Elysius. Illa occidit *viridi fraudata juventa*, post filium minorem natum; alio l. Martialis *virides annos deserere* dixit eadem sententia; Virg. Aen. 5, 295 *Euryalus forma insignis viridique juventa*; Ovid. Trist. 4, 10, 17 *frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo*. Stat. Silv. 3, 1, 161 *quod si dulce decus viridesque resumeret annos*. — Pater mortuus est octogenarius. Olympiades enim poetas non raro sunt quinque annorum. Seni, ut ex Statio videmus, *dextra bis octonis fluxerunt saecula lustris*, quum in exilium mitteretur, ex quo redux diem obiit. Sed quisquis, Etrusce, lacrimas vidit, quibus eius mortem luxisti, tibi credidit *festinatis annis*, aetate ad mortem non matura eam ereptum. *Heu quantis lassantem brachia vidi planctibus et prono fusum super oscula vultu! vix famuli comitesque tenent, vix arduus ignis summo vet.* Stat. l. l. v. 176 seq.

Lib. X, 71.

Quisquis laeta tuis et sera parentibus optas  
 Fata, brevem titulum marmoris huius ama,  
 Condidit hac caras tellure Rabirius umbras.  
 Nulli forte jacent candidiore senes.  
 Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clusit;  
 Arferunt uno funera bina rogo.  
 Hos tamen ut primis raptos sibi quaerit in annis!  
 Improbius nihil his fletibus esse potest.

Rabirii architecti, qui domum Domitiani magnificentissimam in Palatino extruxerat, parentum post matrimonium longissimum una nocte extinctorum epitaphium. — Poeta adloquitur viatorem. Veteres enim populi plerique et Romani maxime postquam in XII tabulis cautum erat,

ne

ne quis in urbe sepeliretur, mortuos multos ad vias publicas humabant; multorum et nobilium hominum monumenta erant ad viam Appiam, ubi Scipionum sepulcrum anno 1780 repertum antiquissimum esse creditur, cuius aliquot inscriptiones vel ad annum a. Chr. 298 referuntur; multorum erant ad Latinam, Flaminiam, Salariam et alias; ad omnes urbes viae frequentiores in parte utraque monumentis cinctae erant, quod etiam nunc ante portam Pompejorum eam, quae Neapolin spectabat, cernere licet, ubi inter plura ruinosae, postquam humus egesta erat, tam recentia inventa sunt, ac si nuper condita essent. \*) Viatores in marmore vel mortalitatis admonebantur, vel ne improbi praeterirent, interdum non sine jocis. Grut. Inscr. p. 977 no. 13. *Tu, qui carpis iter gressu properante, viator, Siste gradum queso, quod peto, parva mora est.* [Oro, ut] praeteriens dicas S. T. T. L. pag. 923. no. 5. *Vixi, quemadmodum volui. quare mortuus sum, nescio. Viator, noli mihi maledicere; nequeo in tenebris respondere.* Pro viatore etiam hospitem compellabant, ut in elogio Claudiae p. 769 no. 9. *Hospes, quod deico, paulum est, asta ac pellige. Haec est sepulcrum haur pulchrum pulchrae feminae*

\*) „Monimenta et sepulcra passim ad viam affixa latus utrumque praetexebant. Quam „pulcher ille adspectus viantibus? quanta et seriorum et jocosum materies? Illuc „illustrium ingeniorum et clarorum virorum memoria et inscriptio; alibi libertorum, „fervorum, — superba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio „erat; et quid in tot titulis et inscriptionibus pasci? Quaedam enim a meliori ingenio „et scitae; quaedam aliqua nota aut inventiuncula spectabiles. — — Aud. Ita me „Deus, jucundum adspectum! et ego si in tali via remorer, subsistam, indormiam. „Lips. Sed et utilem adspectum. Varro: monumenta secundum viam, „quo praetereuntes admoneant, et se fuisse, et illos esse morta- „les. Quid amplius? omnium illorum, qui disparibus monumentis teguntur, parem „in exitu sortem fuisse. Aequat omnes cinis. impares nascimur, pares „morimur. Sen. Lips. Admirand. 3, 10 fin.

*nae* etc. — Quicumque parentibus tuis seram mortem atque in ipsa morte sortem felicem optas, *titulum*, h. e. inscriptionem hanc monimenti brevem ama, *στέγυς*, eam legens gaude. Ovid. Trist. 3, 3, 77 „hoc satis *in titulo* est.“  
 Condidit hic Rabirius caras parentum umbras, cineribus utriusque eodem sepulcro humatis. Nulli senes forte *candidiore*, *feliciore*, diem obierunt supremum; una nox mitis placida morte sexaginta annorum coniugio finem imposuit et uno rogo cremati sunt. Eosdem tamen Rabirius quaerit, tamquam obiisse credere nequeat, desiderat eos ac si erepti sibi sint *primis in annis*, non aetate senili. His fletibus et sero et laetissimo fato functos deplorantibus nihil potest esse *improbis*. „Quousque enim vivendum erat parentibus et quando moriendum, ut non fleret Rabirius?“ *Rader*.

L. I, 116.

Hoc nemus aeterno cinerum sacra vit honori  
 Faenius, et culti jugera pauca soli.  
 Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro;  
 Hoc erit Antullae mistus uterque parens.  
 Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum;  
 Perpetuo dominis serviet ille suis.

Epitaphium Antullae, cuius pater, Telesphorus Faenius epigr. 115. suo et suorum sepulcro agellum sacra verat. Saepe factum invenimus, ut, qui agros haberent, eorum partem maxime ad viam aliquam publicam suo suorumque sepulcro dedicarent; qui non haberent, ut locum alieni agri sibi ad eum finem compararent. Sepulcra et monimenta in agris condita quum agri venderentur, vel ipsa quoque ad emtores pertinebant, vel nominatim excepta genti cum via reservabantur. Haec erant et dici solebant hereditaria, quia hereditatis jure a maioribus ad posteros transibant. Alia nec heredes sequebantur, nec vendi emique poterant. Hereditaria sepulcra in cippo hisce literis significari solebant: H. S. (M.) H. EXT. N. S. hoc

B -

sepulcrum

sepulcrum (monimentum) heredem extraneum non sequetur; non hereditaria his: H. M. H. N. S. five H. M. AD. H. N. TRANS. hoc monimentum ad heredes ne transeat. Non raro ad monimenta in agris addita erant jugera pauca, hortus, pratum, sacellum, quæ omnia ut integra servarentur cavebatur. Eius generis erat, quod Faenius sibi, uxori et filiae sacrarat, cepotaphium, quale Claudiae Semnes a. 1792 haud procul via Appia reperiunt, in cuius inscriptione maiore praeter alia haec leguntur: HVIC. MONVMENTO. CEDET | HORTVS. IN. QVO. TRICLIAE | VINIOLA. PVTEVM. AEDICVLAE | IN. QVIBVS. SIMVLACRA. CLAVDIAE | SEMNES. IN. FORMAM DEORVM etc. Tricliae sunt quod trichilae. Sed de hac inscriptione diligenter commentatus est *W. Udden* in *Wolphi Museo* Vol. I. fasc. 3. p. 554 seqq. Sepulcra sine monimentis sed cum hortulis exiguis multa exstitisse verisimile est. Tale Martialis Alcimo fecerat l. I, 89. *Accipe non Pario nutantia pondere saxo, quae cineri dat, superfruit vanus labor, quum serius ocuis sint ruitura, sed fragiles buxos, quas cari capitis memoriam aequae sibi semper virentem fore ac buxum indicaturi in tumulis plantare solebant; et opacas palmitis umbras, trichilam ex vitibus, quarum umbra et tu tegaris et ego ad cineres tuos ventitans, quaeque virent lacrimis roscida prata meis.* Sed ad Antullae epitaphium redeamus. *Hoc nemus, hunc hortum, et culti jugera pauca soli, breve rus udaeque prata* (ep. 115. loquitur memor Tibulli Eleg. I, 1, 2 *et teneat culti jugera multa soli.*) Faenius in omne aevum suae suorumque memoriae sacravit; in eo filiae praematura morte abreptae cineres condidit et ipse cum uxore condi cupit. In tertio disticho eleganter circumscriptum est, quod paucis, ut modo dixi, literis indicari solebat. Saepe adscriptus est monimenti modus. Exemplo sit inscriptio, quae ad eandem familiam pertinere videtur, Grut. p. 979 no. 7. DIS. MANI- BVS | IVLIAE. HELENE. CONIVGI | OPTVMAE. DE SE. BENE. ME | BENTL. FECIT. TELESFORVS | DOMITIAE. DOMITIANI. SER | ET SIBI.



SIBI. ET. SVIS. POTERISQVE | EORVM | IN. F. P. XII. IN. AGRO. P.  
 VIS h. e. in fronte pedes duodecim, in agro pedes sex et semis. Litera S  
 posteriori numero adhaerens semissem indicat. Pag. 308 n. 2 sepulcrum  
 quoddam dicitur esse LONG. P. XIIS. LATVM. PED. VIS. Quae hîc omni-  
 bus literis legis *bene merenti fecit*, eadem saepe primis indicantur B. M.  
 five B. M. F. Monumentorum, quæ vivi sibi et propinquis fecerant, nume-  
 rus magnus est; quod produnt literae V. F. vivus, viva fecit. Grut. p. 760  
 no. 6. CATIA. C. F. PRIMA | SIBI. ET | Q. SICINIO. MV. F | VIRO. SVO.  
 | V. F. | IN. FRONT. P. XX | RETRO. P. XX | H. L. ET. M. H. N. S. in  
 quibus H. L. sunt *hic locus*, ut in his: L. S. M. C. locum sibi monumento  
 cepit; L. V. C. locum vivus cepit.

Lib. VII, 96.

Conditus hîc ego sum Bassi dolor, Urbicus infans,  
 Cui genus et nomen maxima Roma dedit.  
 Sex mihi de prima deerant trieteride menses,  
 Ruperunt tetricae quum mala pensa deae.  
 Quid species, quid lingua mihi, quid profuit aetas?  
 Da lacrimas tumulo, qui legis ista, meo.  
 Sic ad Lethaeas, nisi Nestore ferior, undas  
 Non eat, optabis quem superesse tibi.

Epitaphium dulce Urbici, pueri bimuli, filii fortasse Saleii Bassi, quem  
 cum optimum virum tum absolutissimum poetam testimonia veterum prae-  
 dicant. Urbicus nobili gente Romæ ortus et ab urbe cognominatus, patri  
 causa doloris, quum prima aetate mortuus conderetur, nondum primum  
 triennium expleverat; deerant sex menses, quum *tetricae deae*, Parcae  
 inexorabiles, *mala pensa*, vitae filum crudeliter rumperent. Nihil ei pro-  
 fuerunt *species* pulcherrima, nihil *lingua* pueriliter duleis, nihil *aetas* tenera,  
 quarum causa prae multis vita longiore dignus esse videbatur. Desflere  
 igitur

igitur velis fortem iniquam; ut hoc feceris, ita filius tuus sive quemcunque tibi superesse cupis, *ad undas lethaeas*, ad inferos non transeat nisi Nestore ferior, cuius longaeva senectus in proverbio erat. Solent ita bene precari praetereuntibus, ut hi fatum defuncti desleant. Interdum vero sententiam adscribere generalem. Glaucia puero a moribus, innocentia, ingenio et forma eximie laudato, Martialis 6, 29 hoc adiecit epiphonema:

Immodicis brevis est aetas et rara senectus.

Quidquid ames, cupias non placuisse nimis.

*Immodica* sunt, quae sortem humanam superant. Velis igitur id quod amas non pertinere ad excellentissima, quae cito perire solent. Etiam Seneca dixit: *Numquam immodica durarunt*; et Quintil. praef. lib. VI. ubi filiorum mortem deplorat, *observatum fere est*, inquit, *celerius occidere festinatam maturitatem et esse nescio quam, quae spes tantas decerpat invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum est nostra provebantur*.

Exiguum sepulcrum cum lapide Martialis in horto suo suburbano Erotio fecerat, vernulae, quae nondum sextum aetatis annum expleverat. Extant in epigrammatis duo ejus epitaphia; alterum lib. 5, 54, quo parentibus ejus prius defunctis fato immaturo extinctam commendat, *parvula ne nigras horrescat Erotion umbras oraque tartarei prodigiosa canis*. In disticho postremo:

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, neque illi,

Terra, gravis fueris; non fuit illa tibi;

agnoscitur illa solennis formula mortuis bene precandi, quae in lapidibus innumeris reperitur, S. T. T. L. *sit tibi terra levis*, et quam poetae variare solent; Ovid. Am. 3, 9 v. ult. *sit humus cineri non onerosa tuo*; id. Trist. 3, 5, 76 *molliter ossa cubent*. Graeci *κούφην* precabantur *γῆν*. In epitaphio tonforis sui poeta: hoc jacet in tumulo, inquit, Pantagathus,

Vix tangente vagos ferro refecare capillos

Doctus

Doctus et hirsutas excoluisse genas.

Sis licet, ut debes, Tellus, placata levisque!

Artificis levior non potes esse manu.

Seneca in Epigr. I ad Corficam insulam non illepide dixit:

Parce relegatis, hoc est, jam parce sepultis;

Vivorum cineri sit tua terra levis.

Exfules enim civiliter mortui sunt. Improbissimae vero mulieri Martialis precatur 9, 29:

Sit tibi terra levis mollique tegaris arena,

Ne tua non possint eruere ossa canes.

Eadem si placet in graeco epigrammate Ammiani leges Anthol. T. II. p. 387. XIII. — Alterum Erotii epitaphium l. X, 61 priori poeta adscripsisse videtur, quum ex urbe in Hispaniam rediturus esset. Venditi enim horti sive agelli post se dominis Erotii tumulum commendat eosque ut puellae sacra anniversaria faciant, dulci carmine rogat. Sic domo et familia tota salva et incolumi nullum videant praeter Erotii in horto suo sepulcrum.

Hic festinata requiescit Erotion umbra,

Crimine quam fati sexta peremit hiems.

Quisquis eris nostri post me regnator agelli,

Manibus exiguis annua justa dato.

Sic lare perpetuo, sic turba sospite, solus

Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Jocose parvi ruris hortulique dominum *regnatorem* adpellavit, quum Romanorum divitissimi *reges* et magna latifundia *regna* dici solerent ut 9, 75: *praenestina regna patroni*. Mortuis *annua justa*, sacra anniversaria fiebant, quum sepulcra coronarent, lapidi unguenta, in scrobem ad sepulcrum vinum, mulsam, lac infunderent, et cibos quosdam cremarent, quibus um-

bras

bras et excitari et delectari crederent. Vid. Luciani Contempl. c. 22. Sacra Romani Manibus placandis faciebant mense Februario per aliquot dies ante d. XI. Kal. Mart. et hic ipse dies Feralia dicebatur. Ovid. Fast. 2, 533 — 570. *Lapis flebilis* est sepulcralis, lacrimis rigandus. Sed etiam ararum in sepulcris conditarum, in quibus stāto tempore Manibus sacra fierent, exempla sunt multa. Inscriptione memorabilem viderat Martialis, quum haec caneret lib. I, 94:

Fabricio junctus fido requiescit Aquinus,  
 Qui prior Elyfias gaudet adisse domos.  
 Ara duplex primi testatur munera pili;  
 Plus tamen est, titulo quod brevior legis.  
 Functus uterque sacro laudatae foedere vitae,  
 Famaque quod raro novit, amicus erat.

Aquinus, qui diutius quam se amicum victurum laetabatur, requiescit nunc junctus Fabricio ad cineres usque amico. *Ara duplex*, monumentum utriusque proxime positum utrumque munere primi pili fuisse ornatum docet, in quem locum post tribunos legionum praefectos secundum fortissimi et rei militaris peritissimi provehebantur. Uterque fortissimus erat. Plus tamen est quod inscriptione brevior legis. Longior nomina, honores, res gestas, aetatem narrabat; brevior in altera fuisse videtur: Aquini amicus, in altera: Fabricii amicus, ad cineres fidus.

Lib. X, 51 elegans est epitaphium Flavii Scorpi, praefinae factionis aurigae laudatissimi, primo circiter anno, quo Trajanus imperabat, et vigesimo septimo anno aetatis suae mortui. Ornatus erat victoria saepe quadrigis in circo parta, favore principum et populi, et famae per orbem terrarum celebritate. Miseranda sane saecula, quibus eiusmodi artibus pæne gloriam assequi possunt. Superfunt plura agitatorum epitaphia, quorum uni ap. Grut. p. 339 haec ex veteri poeta subscripta leguntur: τὸς σους ἀγῶνας

ἀγῶνας αἰὼν λαλήσει. Omnium eius aetatis mortalium sermones plurimi erant de ludis Circensibus et de factionibus eorum, quae a colore nomina habebant. *Venetam* oderat Domitianus; *prasinæ* eiusque agitatori primario favebat, atque in periculum magnum incurrebant, qui contraria studia imprudentius ostenderent. Tertia et quarta erat *ruffata* et *alba*. Domitianus duas factiones *aurati* et *purpurei panni* addiderat. Victoriæ præmia agitantes amplissima accipiebant; Scorpis in Mart. 10, 74 *una dicitur quindécim graves hora ferventis auri victor auferre saccos*. Praeterea divites ad equos alendos, ad statuas et monumenta agitatoribus et equis factionum suarum ponenda multa conferebant. Plus uno loco Martialis male divites castigat, qui malint *non sensuro dare quadringenta caballo, aureus ut Scorpi nasus ubique micet*, quam pauperi amico centena. Imago Scorpi in curru stantis quatuor equis juncto, adscriptis aurigae et equorum nominibus (Ingenui, Admeti, Pafferini, Atmeti) in monumentis antiquis repertum est. Eius epitaphium hoc scripsit Martialis:

Ille ego sum Scorpis, clamosi gloria Circi,  
 Plausus, Roma, tui deliciaeque breves,  
 Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,  
 Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Scorpis gloria Circi adpellatur *clamosi* propter studia diversis partibus faventium; Romae *plausus*, cui dum vivebat soli fere Roma propter victorias frequentissimas plauderet, *deliciaeque breves* quum juvenis sicut rosa brevis cito defloresceret. Ex Parcis plerumque Atropos filium frangere narratur; sed etiam Lachesis laedit; *nil adicit penso* 4, 54. *supremos pernet annos* 1, 89. eiusque nomen pro Parcis in universum ponitur etiam Ovid. Tr. 5, 10, 45 et al. l. Juvenem rapuit Scorpis, quum propter victoriarum numerum tantum, quantum vix qui senilem aetatem attigerunt reportasse solent, senem eum crederet.

L. IX, 28.

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus

Ille ego sum, plausus deliciaeque tuæ;

Qui spectatorem potui fecisse Catonem,

Solvere qui Curios Fabriciosque graves.

Sed nihil a nostro sumsit mea vita theatro,

Et sola tantum scenicus arte feror;

Nec poteram gratus domino sine moribus esse;

Interius mentes inspicit ille deus.

Vos me laurigeri parasitum dicite Phoebi,

Roma sui famulum dum sciat esse Jovis.

Epitaphium Latini ob virtutem scenicam et integritatem vitae laudati, qui Neronis et Domitiani temporibus floruerat. Ab arte deridendi laudatur l. 1, 5 et 13, 2. Qua quum clarus esset, *decus scenae* adpellatur, populo *dulce, ludorum scenicorum fama*, quem ante histriones omnes laudibus celebrarent et plausu exciperent; qui vel Catonem, virum gravissimum, tenere potuisset, ne abiret, et solvere gravitatem vel M. Curii Dentati et C. Fabricii Luscini, de quibus interpretes ad Hor. Carm. 1, 12 videantur. Sed a theatro, inquit, nostro, ubi multa levia atque improba sunt agenda, nihil sibi adsumsit vita mea; *feror* ore hominum sola arte scenicus, non moribus. Constat, Domitianum severa censura morum licentiam coercuisse, eundemque et dominum et deum vocari voluisse, et saepe Iovem adpellatum esse. Histrionum vero quosdam ea aetate *parasitos Phoebi* sive Apollinis dictos fuisse, etiam inscriptiones docent. Parasitorum in scena exempla sunt Ergasilus, Gnatho, alii; quorum qui partes agebant *parasiti histriones* dicebantur. Grut. p. 329: *Sertius Polensis, parasitus histerio vester festivissimus* etc. Apollinis vero parasiti inter titulos veros memorantur. M. Aur. Aug. lib. *Agilio Septemtrieni pantomimo sui temporis primo, sacerdoti synodi, Apollinis para-*

*parasito, alumno Faustinae Aug. etc. et L. Acilio L. F. Pompt. Eutyche nobili archimimo, communi mimor. adlecto, diurno parasito Apoll. Tragico Comico primo sui temporis cet.* Vid. Grut. p. 330 no. 1. 2. 5. et pag. 1089 no. 6. De honesto parasitorum apud Graecos antiquiores loco videatur Athenaeus lib. 6 c. 6. Apud Romanos hac aetate archimimos et histriones insigniores honoris causa Apollinis parasitos dictos esse videmus, ut si non sacerdotes Apollinis tamen propinquo sacerdotibus loco essent. Nam distinguunt. Aurelius quidam Apolauftus in marmore adpellatur *parasitus et sacerdos Apollinis*. Emolumenta, coenam, sportulam largam praebitam esse, ut veri essent Apollinis convivae sed graeco nomine dicti, sicut dii Jovis parasiti dicuntur, ad cuius coenam conveniant, admodum est verisimile. Sed Martialis per jocum negat, Latinum recte dici *Phoebi parasitum*, quum *Jovis sui* eum esse famulum omnis Roma sciat. Famuli nomen per se est loci inferioris; sed per adulationem famulus Domitiani parasito Apollinis praeponitur.

Lib. XI, 14. Epitaphium Paridis pantomimi.

Quisquis Flaminiani teris, viator,

Noli nobile praeterire marmor.

Urbis deliciae salesque Nili,

Ars et gratia, lusus et voluptas,

Romani decus et dolor theatri,

Atque omnes Veneres Cupidinesque.

Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Duos exstitisse Parides in scena nobiles, alterum a Nerone, alterum a Domitiano occisum constat. De priore praeter Tacitum videatur Dio Cass. l. 63 et Suet. Ner. c. 54. De posteriore Suet. Domit. c. 3. *Domitiam* uxorem imperator *Paridis histrionis amore deperditam repudiavit*. Dio Cass. l. 67 „Paridem pantomimum (τὸν ὀρχηστὴν utrumque adpellat) in media via ob Domitiam occidit, et quum multi homines et floribus et unguentis eum

locum honorarent, hos interfici iussit. Adeo *discipulum Paridis pantomimi impuberem adhuc et cum maxime aegrum, quod arte formaque non absterilis magistro videbatur, occidit.* Suet. Domit. c. 10. Plura de hominis potentia dum vivebat, vide in Juven. 7, 85. seqq. 6, 87 et ap. interpr. Inscriptio ap. Grut. p. 352: *Athenodorus Xysticus Paridi Thymelico bene merenti fecit*, et altera p. 601 D. M. S. *Paris. Imp. Domitiani Aug. Germanici Ser. ministrator sibi et Claudiae Agathae Tyche Coniugi bene merenti, quae vixit annis XXI.* ad pantomimos hos pertinere videntur. Post Domitianum interemtum Paridi insigne monimentum marmoreum ad viam Flaminiam exstruxerunt, cui poeta hanc inscriptionem fecit. Cum Paride interierunt urbis *deliciae*, qua blandissima adpellatione, quidquid maxime amarent et admirarentur, nuncupabant; studio eum in scena videndi ita omnis urbs flagrabat, ut Juvenali mirandum id videretur, si quisquam ludos Paridemque relinquere posset. Hoc sepulcro conditi sunt *saler Nili*, lepores et faciliae protervae, qualibus Aegyptii excellebant, sed prae omnibus Paris; ars scenica et pantomimorum, qua ille insuperabilis erat, et *gratia*, charis, sine qua vel summa ars non placet, *lusus*, jocus venustus et *voluptas*, gaudium e lusibus jocisque nascens. Romani theatri *decus* fuit, dum vivebat, nunc *dolor* est, quum periit. (Conf. interpr. ad Virg. Aen. 10, 507: *o dolor atque decus magnum rediture parenti.*) Cum eo perierunt *omnes Veneres Cupidinesque*, quidquid venustum est et dignum ut ametur.